

NOTITIA BIBLIOGRAPHICA ALTERA

IN LIUTPRANDUM

(Apud Fabricium *Bibliotheca mediæ et infimæ Latinitatis*, tom. IV, pag. 291.)

LIUTPRANDUS, aliis *Liutprandus*, *Litobrandus*, *Eutranulus*, etc., Trithemio cap. 362, ex Pavia civitate oriundus; aliis minus probabiliter Hispanus, certe a Luitprando Toletano, si quis fuit, diacono diversus, atque ex diacono Ticinensi siue Papiensi episcopus Cremonensis et duabus legationibus Constantinopolim perfunctus, una a Berengario II marchione ad Constantinum Porphyrogenitum imp. an. 946, et altera ab Othone I imp, ejusque filio ad Nicephorum Phocam anno 968. De eo satis diligenter Labbeus tom. II, p. 33, de S. E.; Caveus ad an. 940; Franciscus Arisius in cremona litterata, tom. I, pag. 58 seq.; atque in primis Nicolaus Antonius, VI, 16, Bibl. veteris Hispanæ. Scripsit Sigebertus cap. 1260 laudatam *Historiam de gestis regum et imperatorum sui temporis, quam attulavit Antapodosin*, id est *retributionem* (48*), luculento et alterno (49) stylo, ad Regimundum [*al.*, Roymundum, *al.*, Tractemundum] episcopum Eliberitanæ Ecclesiæ Hispanorum. Idem opus Trithemius memorans *septem libris* ait constitisse, sed *sex tantum libri* in editis conspiciuntur, nec sexti libri capita sex posteriora sunt ab ipso Luitprando, sed ab alio deinde addita, ut Vossius, pag. 345; Baronius ud an. 963, num. 3; Miræus, cap. 270 Auctarii, alique monuerunt. Fortasse historiam legationis posterioris, de qua infra, Trithemius pro septimo libro habuit. Libri illi sex scripti inter an. 957 et 960 (PAGI, *ad an.* 963, n. 3), et res utriusque imperii ab an. 891 ad 946 perstringentes prodire interscriptores Justi Reuberi p. 86, et t. III Andreæ du Chesne, p. 562, et inter Luitprandi Opera Antuerp. 1640, fol., et in Thesauro scriptorum Italiæ Muratoriano, tom. II, p.

(48*) Proprie librum tertium *Ἀντιδοσιῶν* inscripsit Luitbrandus, in Berengarium a quo offensus fuerat ejusque conjngem Willam invehens ac vicissim celebrans bene de se meritos.

A 417, ubi etiam varias lectiones ex tribus mss. codicibus bibl. Cæsareæ reperies p. 1078.

Legationis ad Nicephorum Phocam, anno 968 susceptæ, *descriptio* dedicata Othonibus Augustis et Adelheidæ imperatrici, edita primum ab Henrico Canisio cum Chronicis Victoris Tunnunensis ac Joannis Biclariensis, et synodo Bavarica an. 772 sub Tassilone duce, Ingolstad. 1600, 4°, et apud Baronium ad an. 968, n. 41 seq., et in Luitprando Ramiscii, Antuerp. 1640 fol., et tomo secundo Thesauri scriptorum Italiæ Muratoriani. In hac descriptione prioris suæ legationis meminit Luitprandus p. 115, edit. primæ his verbis *Temporibus beatæ memoriæ Constantini imperatoris huc (Constantinopolim) veneram, non episcopus, sed diaconus: nec ab imperatore aut rege, sed a Berengario marchione missus, etc.*

B Sola hæc duo genuina et lectu digna Luitprandi opuscula. Cætera supposititia, *Chronicon*, ab anno Christi 606 ad 960, et *Adversaria* (49*), in quibus p. 464 mentio Chronici ad Heronium Bracarencem episcopum, subjuncta etiam ad eundem *Epistola*. Hæc cum prioribus in lucem data atque illustrata notis ab Hieronymo de la Higuera S. J., et Laurentio Ramiresio de Prado Antuerp. 1640, fol., falsitatis convincuntur a Labbeo, Caveo aliisque, sed maxime Nicolao Antonio tom. I Bibl. veteris Hispanæ, p. 585 seq.

Etiam *Vitas pontificum Romanorum* a S. Petro usque ad Formosum papam, anno 895 defunctum, quas tum cum Anastasio per Abbonem Floriacensem excerpto edidit Joannes Busæus, Moguntiæ 1602, 4°, alium quam Luitprandum et potius Germanum habere auctorem, et ipsas quoque ex Anastasio excerptas notarunt Vossius alique.

(49) Partim soluta, partim stricta oratione.

(49*) In his *Adversariis Fuldæ* se Bibliothecarium fuisse ait pagg. 475, 483 490.